



**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaeer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Metrica Paraphrasis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](#)

*Aeternis  
rationibus  
vivent; ni-  
hil nocet  
hac mundi  
perturba-  
tio.*

stras vltra mortalitatis huius terminos euocaret, & ad vitam æternis ratiohibus instituendam hortaretur; ad quemuis impij felicis, boni infelicis occursum mens nostra collabaseret, præsertim cum ne iam quidem satis aestuantium cogitationum fluctus euadat, nisi quantocyùs ad portum, quem proximo versu pandit Ecclesiastes, vela conuerat.

## SECTIO OCTAVA.

## ECCLESIASTES.

VERSUS 15. Laudaui igitur lætitiam quod non esset homini bonum sub Sole, nisi quod comedere & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vita sua, quos dedit ei Deus sub Sole.

## METRICA PARAPHRASIS.

*Procul hinc odora naris*

*Stolidæ sagacitatis,*

*Vinamus, atque edamus*

*Sereniore fronte;*

*Sereniore mente.*

*Quid enim profana turba*

*Sacratioris anæ,*

*Secretioris uræ*

*Decreta iniquiores*

*Ad calculos vocamus?*

*Quæ sanxit aula cœli,*

*Quid terra ruminatur?*

*Procul*

Procul hinc odora naris  
Stolidæ sagacitatis :  
Viuamus, atque edamus.  
Procul hinc procul faceſſant  
Planctusque lacrymæque,  
Luctusque, & impeditæ  
Suspīriſque crebris  
Singultibusque voceſ,  
Nihilque profutura  
Querentibus querelæ.  
Curas procul voraceſ  
In Caſpias procellas  
Zephyri ferant volucres.  
Viuamus, atque edamus  
Animo ſolutiore,  
Vultuque amœniore,  
Dryadumque per recessus,  
Nemorisque delicati  
Per frondeos Penates,  
Vbi quercus hoſpitalis  
Ramosa tecta pandit :  
Vbi ſibilo tepenti  
Zephyri comis adulant,  
Loquacibusque nidis  
Pandionis volucris  
Liquidum melos fritinnit ;  
Aut herbido tapete  
Triclinium paremuſ,  
Vbi prata vere primo  
Salientibus ſcatebris,  
Trepidantibusque riuiſ,  
Vitreos bibunt liquores:

Eeee 3

Vbi

*Ubi culta per evireta  
Soboles amœna veris,  
Rosæque, liliumque,  
Crocique, calthulaque,  
Sitientibus labellis,  
Et hiantibus labellis  
Rorem hauriunt & auram.  
Hic vua purpurascens  
Amabilis Vesui,  
Hic profluant Falernis  
Elisa vina prælis,  
Quæcis naufragentur imo  
Curæ obrutæ profundo.  
Hic mensa delicatis  
Opibus referta ruris,  
Et ferculis inemptis,  
Salaribus deorum  
Cœnis superba litem  
Moueat beatitatis.  
Hic dormiente curâ,  
Et pruriante orexi,  
Viuamus atque edamus.  
Hic segreges canoris  
Animemus æra plectris :  
Hic munerum soluti  
Risus sereniores  
Captemus, & lepores,  
Innoxios lepores ;  
Interque blandiorum  
Fomenta gaudiorum  
Viuamus atque edamus.  
Laboris hoc leuamen,*

Et

Et vnicum leuamen  
 Hæc fluxa vita carpit,  
 Et fructus hic laboris  
 Et vnicus laboris,  
 Quo nunc datur potiri,  
 Dum lampadis diurnæ  
 Vitam quadriga carpit,  
 Et hora trudit horam,  
 Dapibus leuare orexin,  
 Curaque vellicante  
 Sub massico sepultâ,  
 Æquum bonumque habere  
 Quod dia sanxit vrna.  
 Procul ergo odora naris  
 Stolidæ sagacitatis:  
 Vnuamus atque edamus.

## PROSA EXEGESIS.

**N**on difficile mihi foret certissimis hîc argumentis  
 Dei causam tueri, cuius prouidentiæ ratio sapien-  
 tissima, & iudicia sunt vnde quaque iustissima. Sed cùm  
 insatiabile sit curiosorum cacoëthes, & insana contradic-  
 cendi libido; abstinentium potius esse iudico ab arca-  
 nâ illâ diuinorum iudiciorum flaminâ, cuius stricturas  
 tantum ac scintillas quasdam nictantibus oculis deli-  
 bare conceditur, ipsam contemplari non permittitur.  
 Sed quemadmodum qui in Solem acrius defigit obtu-  
 sum, hebetiorem illum refert, magisque caligantem; ita  
 mentis omne lumen amittit, qui curiosius eam intendit  
 in hoc lumen.

Nemo igitur impudenter à Deo pœnarum præmio-  
 rumque rationem exigat: quia nihil magis rationi con-  
 fenta-

Iudicia Deb  
 non sunt  
 curiosè in-  
 daganda.